



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Avitus Conf. 17. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quæ plurima patravit, illustrius fuit. Hoc illum contubernium sanctum fecit, miracula probarunt. Mortem an. M. C. LXI. obiit. Nos ejus virtutes taceremus, si sua olim scelera tacuisset. *Ex Phil. Fer.*

Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotatum tabescere. S. Aug. de Visit. Inſir.

S. AVITUS CONF. 17. Junii.

Ostendi utique AVITVM Deus mundo voluit, cui tantam nascenti lucem circumfudit, quantam humani oculi ægrè paterentur. Ipse tamen latebras quæſivit Mictianensi monasterio abditus, magni nominis famam adeò non affectans, ut nullo se libentius quàm Bruti vocabulo compelli audiret, præter spem votumque ad honoratiora munia productus, fugam iteratò iniit, & inter nemorum avia mapale molitus, sibi Deoque vixit. Sed illum nocte intempeſtâ cælesti radiantem luce subuleus reperit, nullo magno viri incommodo, nisi in eam usque diem elingui, & mutuo signo crucis loquendi facultatem dedisset: quid enim ille prolixius postea, quàm sui medici laudes loqueretur? Ejus præconio proditus, tertiam fugam parabat, nisi Præsulum auctoritate motus, boni publici rationem privatis commodis potiorrem habuisset. Ex intervallo cæco lumen, mortuo vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum adversus eum accensa studia sunt, ut Aurelianenses Dunensesque mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Jam castra castris opposita stabant, concursumque fuisset, ni Leusus quispiam summo

gene-

genere vir furentes monuisset, ne crudeli pietate Divum offenderent. Utinam pari studio pro virtutibus certaretur, quas in medio positas nulli invidet nobilissimas sine dubio omnium Reliquiarum. *Ex Surio.*

Uberiore fructum præbet audientibus Sanctorum vita, quàm miracula: Illa exigit imitationem, ista ingerunt admirationem: miracula docent quàm sancti fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant sancti. S. Pet. Dam. l. i. ep. 19.

S. LEONTIUS M. 18. Iunii.

VEspasiani ævo, LEONTIVS militiæ artibus clarus Christianæ pietatis pœnas dedit, Arcadio mite Cæsaris ingenium in virtutum excidium incitante. Datur Hypatio negotium hominis comprehendendi; is in procinctu febre corripitur; quâ se non antè levandum, Angelo docente, intelligit, quàm Deum LEONTII supplex inlammasset. Dictum, factum: etsi ne sic quidem crudele ministerium deseruit; sed cum Theodulo Tripolim LEONTIO imminens abiit. Enimverò non refugit captatores nobilis præda; quin imò domum deductis, comiterque acceptis, ultrò sese aperuit, sed jam attonitis inauditâ humanitate, & imperii oblitis. Tum demum Hypatius suspicere LEONTII Deum, qui suis cultoribus hos mores, talem indolem daret; eundem Theodulus deprædicare, unaque poscere tam sancto utrumque Numini initiaret. Favit cælum votis, & roscida nubes in imbrem soluta caputibus superfunditur. LEONTIVS tinctos Deo consecrat. Adrianus re intellectâ furere, & nihil profecturis sævitæ artibus tentare veterani pariter & tyronum constantiam; & hi